

affigit cornua ad domum alicujus, ut publice incontinentiam ejus Uxoribus. In his omnibus peccatis precipua circumstantia est obligatio restituendae famae, ut docent omnes DD. quos referunt mea Erotemata ubi supra, & Eminentiff. Cardin. de Lauræa d. tom. 2. in 3. Sentent. de Virtutib. in genere disp. 23. art. 9. nisi aliqua legitima causa excuset a restitutione; quas Lobner de Scientia Confessarii pag. 54. restrinxit in his verbis:

28 Si fama obtrita est; & apertum oblitio crimen abfuit: aut rapta a leso sibi fama vicifum est, si donec lesus, vel condonare poterit. Reddere sique potens non sit, vel non sine damno Majori; vel famam alia si lesum eandem Perdidiit ipse via: nihil illi reddere debet.

A declaratione harum causarum, excusantium a restitutione famae, abstinere; quia ex se satis clarae sunt. Cæterum quia absque comparatione difficilior est restitutio famae ablatae, quam temporalium bonorum; & ut Confessarii caute agant in absolvendis poenitentibus, qui aliquo ex supra relatis modis famam proximam denigrarunt, antequam eam restituant, vel cerititudinem exhibeant eam restituendi; audiant quod fecerunt præterito sæculo duo insignes Theologi, P. M. Alphonsus Dominicus cum quodam detractore, ac P. M. Victoria Dominicanus in sua Historia Miscell. part. 2. §. 304. Vir quidam nobilis Hispanus coram pluribus Equitibus falsò se iactaverat, copulam habuisse carnalem cum Matrona quadam, cujus fama apud illos Equites læsa remansit. Paulò post detractor iste, stimulis conscientiae punctus, accessit ad P. M. Alphonsum de Castro, eruditissimum virum, rogans, ut ejus Confessionem sacramentalem audiret. Annuit ille; cepitque detractor, se accusare de ablata fama Matronæ. Tunc surgens M. Alphonsus de Sede confessionalis exclamavit, dicens: damnatus es; peccatum tuum est sine remedio; statimque discessit. Confessione, ac terrore obrutus ipse poenitens, audito nomine P. M. Victoriae celeberrimi Theologi Dominicanici, ivit ad eundem, petens audire, & juvari, narransque se fuisse expulsum à P. Alpho de Castro, & condemnatum ad inferos irremediabiliter. Obstupuit P. M. Victoria, reflectens, nullum dari peccatum, pro quo non habeatur remedium, si concurrat in poenitente vera detestatio, ac voluntas satisfaciendi pro illo. Confolatus est igitur poenitentem, & hortatus, ut confiteretur peccatum suum; quod ille fecit, detractionem suam narrando, qua calumniatus fuerat illam Matronam, & ejus famam denigraverat. Tunc P. Victoria: Eja, ait, bono animo esto. Peccatum hoc habet suum remedium. Vade, reperi Equites illos, retracta dictum tuum, juramento affirmata, te tunc dixisse falsum ex mera jactantia; Matronam illam esse pudicam, innocuam. Respondit Poenitens: talis retractatio mihi non expedit; nunquam enim fiet, quòd me mendacem dicam coram Equitibus illis; ego enim etiam sum Eques. Hac responsione, & negativa audita, P. Victoria vociferatus inquit: P. Alfonso de Castro, me sapientior, & prudentior fuisi, judicans, peccatum poenitentis hujus sine remedio. Et conversus ad male dispositum poenitentem, dixit: Utrique sine remedio est peccatum tuum, quando recusas, restituere famam Matronæ, retractando, quòd impudens, ac falsò dixisti. Ac abiit. Utinam nostris diebus, nostrisque Confessariis confimiles poenitentes non occurrerent.

Hac satis sint ad hoc, ut Parochi, & Confessarii genericam habeant notitiam circumstantiæ QUID; id est, ut sciant, quando qualitas peccato adhaerens vel ipsum aggravet notabiliter, vel mutet speciem, vel inducat obligationem restitutionis ob famam, & documenta proximo illata; de qui-

bus differit Reginaldus in Praxi libr. 14. à num. 33. & seqq.

DECISIO XXVIII.

ARGUMENTUM.

Explicantur quinque sequentes circumstantiæ peccati, UBI, QUIBUS AUXILIIS, CUR, QUOMODO, QUANDO, & ostenditur, quando aggravent; mutent speciem; & sint in Confessione manifestandæ. Exempla duarum Meretricum, reculantium in loco Publico coire.

SUMMARIUM.

- 1 Ubi circumstantiæ indicat locum Sacrum, & locum Publicum.
- 2 Blasphemie, & alia peccata lingua dicta in loco Sacro, an sint etiam Sacrilegia?
- 3 Ebrietas in Ecclesia quid sit?
- 4 Copula carnalis in Ecclesia quando sit Sacrilegium?
- 5 Femine ingredientis claustra Religiosorum sunt excommunicatae.
- 6 Sanguinis humani effusio violenta in loco Sacro est Sacrilegium; item alius forensis, ac seculive excommunicatum in eo; nec non ex illo extrahere Reos.
- 7 Reorum septem genera non gaudentium immunitate loci Sacri.
- 8 Vendere res in Ecclesia sacrilegium.
- 9 Locum publicum ad peccatum circumstantiam scandalis.
- 10 Meretrices recusantes coire in loco publico.
- 11 Circumstantia Quibus Auxiliis declaratur.
- 12 Ignorantia affectata exprimens in Confessione?
- 13 Cur circumstantia in quo versatur?
- 14 Quomodo circumstantia declaratur.
- 15 Recidivorum periculum.
- 16 Festivo die peccare, an sit circumstantia gravans, vel mutans speciem.

Circumstantia UBI respicit locum, in quo committitur peccatum; quòd aliquando aggravatur notabiliter ex hac loci circumstantia; aliquando mutat speciem, & aliquando augetur numero. Igitur duo sunt loca per poenitentem explicanda, quando in eis peccavit. Locus Sacer, & locus Publicus. Appellatione loci Sacri venit Ecclesia, in qua Divinum Sacrificium celebratur, ubi si peccata committantur vel graviora sunt, vel multiplicata numero, vel transunt in Sacrilegium. Declaro hanc circumstantiam sequentibus exemplis. Primò de Blasphemiis, vel detractionibus prolatis in loco sacro; sive etiam de verbis turpibus, ac cantilenis inhonestis: Et quamvis plures DD. teneant, hæc peccata non transire in sacrilegium; nihilominus tutior est opinio contraria, quia fit magna irreverentia loco Sacro, quòd decet sanctitudo, ut advertit Suarez de Relig. lib. 3. cap. 7. Eminentiff. Cardin. de Lugo d. disp. 16. §. 10. & innuit Gobat in Quinario trad. 5. cap. 49. præcipue si plures adfint, qui audiant; tunc enim, & peccatum scandalis naturam, ac Sacrilegii assumit; & hæc omnes circumstantiæ sunt in Confessione exponendæ. Secundò queritur de potationibus, & ebrietatibus factis in Ecclesia; & si data opera, ac pluribus videtibus hant, in Sacrilegii, ac scandalis species transeunt. Gobat. d. trad. 5. cap. 48. secus si ex accidenti, aut si potationes fuerint aliqua honesta causa vestitæ, & dum operari ornant Ecclesiam, vel aliquod opus faciunt; & ex labore, accensati-

ti, ita bibunt, ut rationem perdant. Tertio exemplificatur de furto; de quo præcedit Decif. XXVII. num. 22. dictum est, esse Sacrilegium quocumque modo res ex Ecclesia furripiatur; ut sentit Castropalaus tom. 2. trad. 11. disp. Unic. punct. 4. num. 4. & Collegium Salmantic. d. trad. 6. cap. 8. num. 102. Quarto dubitatur de copula carnali habita in Ecclesia, extra casum urgentis necessitatis. Et quamvis Vasquez, Diana, & alii citati à Collegio Salmanticens. d. trad. 5. cap. 8. num. 101. asserant, non esse Sacrilegam, si sit occultata; quia ex sola publica effusione feminis, aut sanguinis humani Ecclesia polluitur; nihilominus quo ad peccatum coeuntium, etsi occulte, in Ecclesia, dicendum est, assumere speciem Sacrilegii, & esse hanc circumstantiam semper in confessione manifestandam; ob gravem injuriam, quæ infertur loco Sacro per actum illum fordium, & indecentissimum; & ita sentiunt Suarez d. trad. 6. de Relig. lib. 3. cap. 7. num. 4. & alii gravissimi Theologi, quos allegat, & sequitur ipsum Collegium d. num. 101. addens num. 103. eandem malitiam contrahere illum, qui desideraret, aut procuraret coire in loco Sacro, etiam opere non completo. Secus autem si pollutio haberetur in Cellis Religiosorum. Idem Collegium Salmanticens. ibid. num. 104. Ad ingressus feminæ in Claustris Regularium subjacet excommunicationi Papali. Lezana in Summa tom. 1. cap. 10. num. 9. Cæterum per effusionem menstruum feminæ in Ecclesia, ea non polluitur, neque feminis in somnis, aut alio modo in effundente inculpabili. Passerinus de Pollut. Eccles. disp. 7. cap. 2. §. 4. Erotemata mea cap. 30. per tot. Quinto sacrilegium incurrit, qui Ecclesiam polluit per effusionem sanguinis humani in ea commissam; dummodo tamen effusio sit notabilis quantitatis, & percussio sit culpa lethalis, ut ex pluribus exemplis declarat eadem mea Erotemata cap. 29. Sexto Sacrilegii crimen incurrit Judices laici, qui in Ecclesia erigunt Tribunalia, testes citant, ac examinant, vel sententias profertur. cap. 1. de Immunit. Eccles. Sperellus Decif. 104. à num. 51. & seqq. Sexto sacrilegè peccant, qui in loco Sacro seculive excommunicatum, vel infidelem. cap. Ecclesiam. 1. & 2. de Consecr. dist. 1. cap. Consulisti. & cap. fin. de Consecr. Eccles. vel Altar. cap. Unic. eod. in 6. cap. Ad hæc. de Privileg. cap. 15. qui. Sent. Excomm. in 6. Erotemata mea cap. 51. ubi plurimi casus de hac Sacrilegii specie reperientur. Septimò tandem sacrilegium committunt, qui violant immunitatem loci Sacri extrahendo ab Ecclesia reos, qui ad illam confugerint. cap. Ecclesie. cap. Inter alia, de Immun. Eccl. Et extat Bulla famosa Gregorii Papæ XIV. incipien. Cum alias nonnulli, &c. quam doctissimis Commentariis declarat Farinacius Oper. Criminal. tom. 10. in fin. Novarius in Summa Bullar. part. 2. Comment. 80. & de eadem copiosè differunt mea Erotemata cap. 32. ubi n. 47. notantur septem genera delinquentium, qui confugiunt ad Ecclesiam non gaudent immunitate, & sunt: 1. Publici latrones, & grafitatores viarum. 2. Depopulatores agrorum. 3. Mutilantes, vel homicidii committentes in Ecclesia, vel Cæmeterio voluntariè. 4. Homicidæ proditores. 5. Assassini. 6. Hæretici. 7. Rei læsæ Majestatis in personam Principis. In his tamen casibus necessaria est licentia Episcopi, ut extrahantur prædicti Rei ex loco Sacro, aliis incurritur excommunicatio Papæ reservata. Theaurus de Pænis p. 2. Verb. Immunitatem Localem. cap. 1. Vers. Limita. Octavo: Sacrilegium pariter contrahunt, qui in Ecclesia vendunt res temporales, aut faciunt mercatus, sive adeò propè Ecclesiam, ut impediunt Divinum cultum. cap. Decet. de Immunit. Eccles. lib. 6. Reginaldus d. lib. 14. num. 42. Nonò: Circumstantia Ubi est explicanda, si peccatum committitur in loco publico ratione scandalis,

cap. Nemo, & ibi Gloss. 32. quest. 4. & idè, qui publice fornicatur, plus peccat propter plurimorum scandalum, quam qui occultè. Sanctus Thomas 1. 2. quest. 73. art. 8. Reginaldus d. lib. 14. num. 45. Et quamvis hæc publicitas in rebus venereis videatur moraliter impossibilis, cum nemo sit pejor Taidæ meretrice famosa, quæ interpellata à Paphnutio Abbate, respondit nunquam se exercituram Venerem coram hominibus; ut scribit Marc. Marulus lib. 3. cap. 2. vel scorto illo requirente S. Epbrem, ut secum coiret, qui cum ei respondisset, libenter, sed in platea. Abfit, replicavit femina, in loco publico. Metaphrastes in Vita ejusdem S. Epbrem; & Matthæolus in Sylva Historiali tom. 1. lib. 4. cap. 1. tit. 9. num. 2. & 3. Nihilominus frequentissima est, etsi inobservata, etiam in peccatis carnis, tum in illis, qui domum conducunt pro suis concubinis, ad quas accedunt cum scandalo parentum, & vicinorum; tum etiam in Religiosis, qui non verentur ingredi domos publicarum meretricum, & exire ex ipsis absque robore; quamvis videantur, ac observentur à transeuntibus, & ab aliis in eodem vico habitantibus; qui omnes gravissimum scandalum, ultra peccatum carnis, committunt; & deturpant bonum nomen sui Ordinis; quæ quidem circumstantiæ sunt omnes in Confessione exprimens, quia non solum aggravant peccatum, multiplicant numero, sed transire illud faciunt ad aliam speciem. De blasphemis autem, homicidiis, ebrietatibus in loco publico patris, nemo est, qui nesciat circumstantiam scandalis inde insurgentem, & necessario confitentiam. Hæc de circumstantia UBI.

Sequitur quarta circumstantia QUIBUS AUXILIIS: quæ tria concernit, Instrumenta, Media, & Concausas, quibus usus est, in peccato. Quo ad Instrumenta, ea, per se loquendo, non sunt exprimens in Confessione, puta an quis occiderit hominem Ense, vel Sclopo. An superflitionem fecerit, aqua, vel terra, vel sale. Collegium Salmanticens. d. trad. 6. cap. 8. num. 105. Dixi per se loquendo, quia ex accidenti, etiam instrumentum esset explicandum, prout evenit paucis ab hincanis inter duos Presbyteros, qui in Sacrificia rixantes, ad manus venientes, unus arrepta Cruce ibi existente, cum ipsa graviter percussit, ac vulneravit adversarium. Quo ad Media, hæc ut plurimum erunt manifestanda; si per eorum usum Religio offendatur, ut si quis abusus sit Aqua benedicta, rebus sacris, Sacramentis, & similibus: Collegium Salmanticens. d. trad. 6. cap. 8. num. 105. Quo ad Concausas; de eis est faciendi manifestatio, tum ob scandalum, & ruinam spirituales proximi; ut in eo, qui diù sollicitavit mulierem renitentem ad peccatum, ad quod tandem eam induxit; tum ob injuriam, seu violentiam; si vi, aut minis cum eadem usus esset, ad idem effectum carnaliter peccandi; prout etiam, si alios homines, aut famulos secum vi, aut minis duxisset, qui cum adjuverant in committendo aliquo peccato, puta furti, homicidii. Collegium Salmanticens. ubi supra num. 106. & Reginaldus d. lib. 14. num. 46. qui asserunt, tunc hanc circumstantiam gravare peccatum, multiplicare numerum, ac mutare speciem. Sed petes, an explicanda sit ignorantia affectata, quæ causa fuit peccati, ex. gr. quis non curat scire, an mulier, cum qua vult coire, sit libera, vel conjugata? Vel plures rustici declinant audire Missam in die festo sui Parochi, ne audiant, an in hebdomada sint vigiliæ cum jejuniis, & cum verè sint, non jeunant, & comedunt carnes? Et verior opinio est, hanc affectatam ignorantiam esse circumstantiam omninò explicandam, quia habet suam malitiam propriam, distinctam à malitia peccati fundè commissi; vel à periculo, cui se exponit de majori peccato committendo; ut latè probat Sanchez in Decal. lib. 1. cap.



cap. 17. num. 10. & differit Summa Diana Verb. Circumstantia per qua? num. 53. Et seqq. ubi DD. Quinta circumstantia CUR, denotat finem, propter quem peccator decrevit peccare; qui finis si habet suam propriam malitiam, ed qua prohibitus fit ab aliquo alio præcepto, est omnino explicandus; ut si quis furetur, ad hoc ut possit fornicari, & solve- re mercedem meretrici; vel non audiat Missam, ut interim reperiat solam domi mulierem, cum qua vult peccare; vel juret falsum, ut noceat alicui. Colleg. Salmanticens. d. trañ. 6. cap. 8. num. 107. Reginald. d. lib. 14. num. 47. & Summa Diana Verb. Circumstantia Cur? num. 93. Et 94. ubi disputant, an si finis, ob quem quis peccavit, non sit malus, puta si quis perdidit Missam, ut attenderet studio, talis finis sit explicandus, & quamvis aliqui DD. apud Eminentiss. Card. de Lugo d. disp. 16. n. 478. affirmant; contrarium tenent alii plurimi, quos citat, & sequitur idem Collegium Salmanticens. ubi supra num. 108. ex illa præcipua ratione, quod tota malitia fiat in transgressione præcepti de audienda Missa, quod præcepto circumscripto nulla malitia remanet in actu studendi; ideo explicata à pœnitente transgressione dicti præcepti, integrè confessus est suum peccatum. Nec omnitendum, ad hanc circumstantiam CUR, reduci posse inordinatum affectum ad honores, ad divitias, ad vindictam, & similes; eò quia aggravatur ipse affectus inordinatus, & aliquando transit in aliam speciem, nempe superbiæ, avaritiæ, iræ; ut notat Reginaldus d. lib. 14. num. 49.

14 Sexta circumstantia QUOMODO, denotat tres qualitates peccati, quæ ut plurimum tamquam notabiliter aggravantes sunt exprimeadæ à pœnitente. Hæ sunt Intensio in peccando, Extensio continua; & Extensio discretæ, seu interrupta in commissione peccati. Prima qualitas, idest intensio, gravat; quia provenit à voluntate peccatoris, qui quanto majori libertate, & intentione affectus peccat, eò gravius est ejus peccatum; ut tradit Sanctus Thomas 1. 2. quæst. 73. art. 6. licet igitur non sint exprimentendi modi, quibus aliquis procuraverit sibi augere delectationem in rebus veneris, vel in vindicandis injuriis, illam tamen accessionem animi, & ardentem voluntatem, ac delectabilitatem in peccando, tutius est, ut manifestet, tamquam circumstantiam QUOMODO notabiliter aggravantem. Reginald. d. lib. 14. num. 49. Et 50. Collegium Salmanticens. d. trañ. 6. cap. 8. num. 112. Summa Diana d. Verb. Circumstantia à num. 95. Et seqq. Extensio continua peccatum ipsius aggravat, quia tantò gravius est peccatum, quanto diutius infelicem animam tenet alligatam. cap. ult. de Consect. sicque consuetudo peccandi sive in rebus carnalibus, sive in odio, aut vindicta, convenit ut explicetur, propter circumstantiam notabiliter aggravantem, ultra numerum actualium peccatorum; videtur enim qui consuetudiniarius est, magis contemnere Deum. Abb. in cap. Cum haberet. num. 4. De eo, qui duxit in Matrimon. Et e. Tandem extensio discretæ, seu reiteratio peccati antea remissi, aut voliti, ultra multiplicationem numeri, de qua dictum est supra Decif. XXIV. num. 12. aggravat notabiliter peccatum; quia homo iterum peccans magis contemnit Dei bonitatem, à qua obtinuerat remissionem ejusdem peccati; ut probat S. Thomas 3. p. quæst. 88. art. 1. & Reginald. d. lib. 14. num. 52. quod principaliter in recidivis procedit; de quorum periculo, ac pessimo statu legat studiosus Confessorius P. Segnerium in Concion. Quarages. Concil. XXXVII. Et in Christiano Instructo part. 3. disc. 22. per tot. ubi rationibus, scripturis, ac exemplis offendit, difficilem recidivorum conversionem.

Septima, & ultima circumstantia est QUANDO; & hæc reflectit ad diem, & ad tempus, in quo

committitur peccatum; nempe an fuerit dies festus, dies Jovis, aut Veneris Sancti; dies, qua peccator sumperat Sacram Eucharistiam. Et quod peccare in his diebus fit circumstantia notabiliter aggravans, nemo est, qui neget, quia resultat peccatum in majorem Dei contemptum. At disputant DD. an hæc sit circumstantia exprimeadæ? & quamvis Neoterici negent, quos citat Diana Coordinatus tom. 1. trañ. 7. resol. 54. Et resol. 55. quarum prima fuit extracta ex part. 1. trañ. 7. resol. 32. altera vero ex part. 11. trañ. 8. resol. 59. in veteri; nihilominus gravissimi Theologi, ac Sancti Doctores, pariter ibidem à Diana allegati, affirmant; à quorum securiori opinione non est discendum; non solum quia peccare in die festo includit specialem quandam irreverentiam Dei, sed etiam quia sæpe sæpius tale peccatum multiplicat specie, ut in mente segetes alienas in die festi; in vacantibus crapula, ac ebrietati, seu aleatum ludu cum detrimento familiæ, alicuius casibus, quos considerat DD. apud Reginaldum d. lib. 14. à num. 56. Et seqq. Summa Diana à num. 111. in Verb. Circumstantia. Collegium Salmanticens. ubi supra num. 113. Et expressè docet Eminentiss. Card. de Lauræ d. disp. 11. num. 261. Et 262. cujus opinio apud me magnoperè ponderat, ob eximiam tanti Patris scientiam, ac ejus heroicam prudentiam, & pietatem; non enim transcribit, quòd alii scriperunt, sed suas conclusiones ponit intrinseca veritatis; & earum justum valorem exquirat fortissimè argumentis, Sanctorum Patrum sensu confirmatis. Additur, quòd frequenter peccata commissa in diebus festis sunt cum scandalo proximi, quòd multiplicat peccatum, ut negare non audeat, est laxioribus adhaereat Gobatus in Quinario trañ. 5. cap. 47. Et cap. 48.

DECISIO XXIX.

ARGUMENTUM.

Mendacii maligna natura exposita, ejusque speciebus, ab ipso immunem esse debere Confessionem Sacramentalem, ostenditur, ut sit Fidelis. Mentiri in Confessione, quando fit Mortale, & quando Veniale, quinque Regulis demonstratur. Exempla gravia, ac lepidà ad evitandum quodcumque mendacium referuntur.

SUMMARIUM.

- 1 Fidelis Confessio quænam sit?
- 2 Mendacium, quid sit? quot modis proferatur? Et quot ejus species?
- 3 Mendacium cur sit semper peccatum?
- 4 Priscillianishe, ac alii hæretici docentes licitum mendacium.
- 5 Mendacium neque ex divina dispensatione posse esse licitum.
- 6 Exemplum mendacii jorosi morte punit.
- 7 Exemplum præmi dati B. Erliche nolenti dicere mendacium.
- 8 Obsterices Egyptie an mendacium dixerint Pharaoni?
- 9 D. Thomæ Aquinatis lepidum dictum, in odium jocosè mendacii.
- 10 Tacere Veritatem aliquando licet; Dicere mendacium nunquam.
- 11 Mendacium in Confessione quando fit mortale, Et quando veniale?
- 12 Adolecentule simplicitas consentiens enormia peccata, non facta; sed reperta in methodo examinandi conscientiam.

Post

Post duas primas Confessionis conditiones, hucusque explicatas, quòd scilicet sit Diligens, & quòd sit Integerr; sequitur terticia declaranda, quòd nempe fit Fidelis. Fidelitas igitur requiritur in Confessione Sacramentali, ut sit valida; quæ quidem consistit in eo, ut pœnitens fideliter manifestet suam conscientiam Confessorio, & dum confitetur peccata sua abintèrat à mendacio, ut tetigimus supra Decif. XXVII. num. 27. siquidem mendacium in Confessione, ut plurimum facit eam sacrilegam, & reddit absolutionem invalidam, ut infra ostendemus.

Pro intelligentia hujus tertiæ conditionis præmittendum est, quòd Mendacium est verbum falsum cum intentione fallendi. Eminentiss. Cardin. Toletus libr. 8. cap. 54. num. 1. ubi illud appellat verbum, quia propriè committitur voce; unde alii definiunt mendacium, ut sit Falsa vocis significatio cum intentione fallendi, seu falsum dicendi. cap. Beatus 22. q. 2. Mendacius in Lucæ dicitur lib. 10. cap. 17. num. 2. & dicitur Mendacium à mentiri; quasi contra mentem ire, dum mendax aliud habet in ore, & aliud in mente, & soler proferri mendacium quatuor modis. Primum, eum id affirmatur quòd nec est, nec esse putatur, ut si Petrus sciens, Paulum esse Venetiis, asserit, cum esse Paravii. Secundum, eum id negatur, quòd verè est, & esse cognoscitur, ut si Petrus neget, Paulum esse Venetiis, sciens certò tibi eum esse. Tertio, cum quis asserit certum esse, quòd in mente sua est dubium. Et Quarto, eum pro dubio affirmat id, de quo habet certitudinem. Quamvis autem obo species mendacii assignentur in cap. Primum est. 8. 22. q. 2. communiter tamen omne mendacium ad tres tantum restringitur; ita ut aliud sit Jocosum, aliud Officiosum, & aliud Perniciosum. Primum est, eum proferitur aliquid falsum hilaritudo, & risus excitandi gratia. Secundum, eum urbanitatis gratia dicitur aliquid, quòd non est verum, vel ad complacendum amico, vel ad eum juvandum. Tertium verò, eum id, quòd falsum est, in alicujus detrimentum asseritur; aut negatur id, quòd est verum. Mendacius d. lib. 10. cap. 17. num. 2. & Abelly in Medulla Theolog. part. 2. De Octavo Decal. præcept. scilicet. 8. §. 1.

Omne Mendacium est intrinsecè malum, ac proinde peccatum; ex ratione, quia, ut observat S. Thomas 2. 2. q. 110. art. 3. locutio instituta est à Deo, ut homines sui animi sensus invicem manifestarent; & alii alios id, quòd esset ignotum, edocerent. Perversitas ergo est, ac Dei offensæ, uti locutio ad fallendum; ac proinde perniciosum mendacium est mortale peccatum, nisi levitas materiæ excuset; Officiosum, ac Jocosum sunt culpæ veniales, nisi jungantur Juramento falso; tunc enim, quia Deus graviter inhonoratur, dum vocatur in testem falsitatis, etiam illa sunt mortalia peccata; juxta illud: Perdes omnes, qui loquuntur mendacium. Psal. 5. 7. Et Sap. 11. 01. quòd mentitur, occidit animam. Hinc diabolus vocatur pater mendacii, quia non est veritas in eo, Et quia mendax est. Joan. 8. 44. & homines illi, qui fuerunt subordinati à Jezabele ad confirmandum mendacium, dicuntur Viri diabolici. 3. Reg. 21. 13. omnis enim mendax est filius diaboli; unde Adde. ad Eminentiss. Cardin. Tolet. d. lib. 8. cap. 54. ponit hoc palchrum dictum: Intemperantia facit hominem bellum, Mendacium diabolum, Veritas semidivum.

Porò non est ignorandum hæreticos Priscillianistas, qui fuerunt in fine quarti sæculi, inter cæteros errores, docuisse, Mendacium non esse peccatum, etiam juncto perjurio; ac propterea solitos fuisse dicere, Jura, perjurio, secretum prodere noli, ut scribit Spondanus ad Annum Christi 381. num. 16. & refert Salelles de S. Inquisit. lib. 3. cap. 8. num. 347. quos confutavit S. Augustinus scribens eorum causa li-

brum contra mendacium; nec desuerunt alii hæretici imitatores eorumdem Priscillianistarum; nempe in fine sæculi decimi tertii, Getardus Sagarellus Parmensis Hæretiarca; & eo extincto, hæretici flagellantes, qui omnes profitebantur licitum esse mentiri, quòd observat idem Salelles d. lib. 3. cap. 15. num. 181. Et num. 200. At errores erant hæreticales, nam de fide est, quòd omne mendacium ex genere suo est peccatum; adeò ut nullo casu nec ad vitandam sui, vel alterius mortem, nec ad pudicitiam servandam, nec pro salute animæ, nec etiam pro Dei gloria mentiri liceat. d. cap. Primum est. cap. Ne quis arbitretur. Et cap. Faciat homo. cum duob. seqq. 22. q. 2. Idem S. Thom. in 2. 2. q. 110. art. 3. & est magna observationis dignum, quòd ex multorum sententia scribit Fagnanus in cap. Falsitatis num. 58. De crimine falsi, sui verbis: Deum ex potestate absoluta posse dispensare etiam in Lege naturali, eamque immutare auferendo malitiam à quibusvis actibus. Lege nature prohibiti; ita ut nullum sit peccatum furari, occidere, fornicari, &c. Et tamen conveniunt omnes, nullam cadere dispensationem in Odio Dei, Et in Mendacio; quibus sic essentialis, intrinseca, Et inseparabilis est malitia, Et inordinatio, ut nec per Omnipotentiam Dei absolutam possit auferri. Quòd etiam tenet, & latissimè probat Suarez de Legibus lib. 2. cap. 15. per totum. Et ante illum S. Bonaventura in 3. Sent. dist. 38. q. 2. num. 25. Et 26. Est igitur irrefragabile, quòd mendacium est intrinsecè malum, quia repugnat veracitati; & homines mendaces sunt Deo odibiles, quòd patet ex illis verbis, Prov. 12. 22. Abominatio est Dominio labia mendacia; & frequenter Deus comprobavit miraculis, & punitionem debitam mendacibus, & protectionem suam erga diligentes veritatem.

Legitur in Vita SS. Julii, ac Juliani fratrum, quam describit ex Joanne Gemancio Hieronymus à Basilica Petri die 31. Januarii, quòd isdem fabricantibus Ecclesiam in Terra Gozani, posita inter Novariam (patriam Petri Lombardi clarissimi Theologi, Magistri sententiarum cognominati, ut notat Ferrarius in Lexic. Geograph. V. Novaria) & Orsam, pauperes habitantes ibidem personale præstabant opem; cumque illac transiret aliqui rustici cum curru vacuo, quem boves trahebant, dubitantes, ne rogarentur, aliquid servitium fabricæ cum eodem curru exhibere, unus eorum sociis dixit: fingam me mortuum in curru, & vos excusationis causa, respondete, quòd non potestis immorari, sed ad Parochialem pro defuncto sepeliendo sollicitè ire debetis. Ita rustici mentientes dixerunt Sanctis Julio, ac Juliano poscentibus ex charitate eorum opus; & ab isdem Sanctis additum fuit: Ite fratres, ite, Et mortuo sepulturam date. Iverunt, & cum jam distarent à fabrica rudentes, ac jocantes excitabant socium, ut è curru descendere; sed quia non respondebat, crediderunt, cum dormire. At erat somnus mortis, nam mortuum verè repererunt in curru, in penam sui mendacii. E contra in Vita Beate Erliche narrat idem à Basilica Petri die 18. Aprilis, fratrem ejus Beate, quæ inimici homines persequerantur ad intercessionem, in domum Sororis cucurrisse, rogasseque ut ab hostibus eum tutaret. Dum Beata vellet claudere ostium domus, comparent persectores, eamque interpellant, an ingressus sit ibi ejus frater? Illa, timens fatendo fratrem perdere; mentiendo Deum offendere; elegit Dei offensam evitare, veritatem dicendo; vitamque germani fratris Divinæ custodiæ relinquere. Igitur confessa fuit fratris ingressum, & illico homicidæ illi per totam domum illum quærentes, haud poterunt invenire, Deo ipsum miraculosè occultante, in præmium veridici responsi per sororem dati, ac ab ea mendacii neglecti.

Sed



Sed dicit aliquis: Obstetrices Ægyptiæ dixerunt mendacium Regi Pharaoni, qui cum præcepisset eis, ut omnes filios Hebræorum masculos nascentes interficerent, ipsæ obstetrices non fecerunt iuxta præceptum Regis Ægypti, sed conservabant mares. Et de hoc interpellatæ à Pharaone, responderunt: Non sunt Hebrææ sicut Ægyptiæ mulieres: ipse enim obstetricandi habent scientiam; & priusquam veniamus ad eas, parium. Ergo mentitæ sunt, & nihilominus ait textus sacer Exod. 1. 20. Bene ergo fecit Deus obstetricibus. Et edificavit eis domus: id est, (ut commentatur ibi Cornelius à Lapide) dedit eis prolem, & progeniem numerosam, divitem, honoratam, insignem, longævam, ac diuturnam in remuneratorem mendacii. Ergo non probatur, mentiri esse intrinsecè malum, & Deo odibile.

Respondetur, quod nonnulli Patres antiqui opinati sunt, in aliquo casu licitum esse mendacium ad aliquod bonum consequendum; prout prædictæ obstetrices mentite fuerunt ex charitate pro salvanda vita puerorum hebræorum. Ita Origenes lib. 4. contra Celsum; Clemens lib. 7. Stromat. & Cassianus Collat. 17. à cap. 17. & seqq. qui hunc errorem hausisse videntur ex Schola Platonis, cujus est sententia lib. 3. de Republic. Mendacio, licet re mala, mendium tamen est quandoque, tamquam elleboro, ac medicamine: ergo & Principes Urbium, & si quibus aliis hoc conceditur, oportet aliquando mentiri, vel contra hostes, vel pro patria, & civibus. Et de hoc errore antiquorum, ut aliquando mentiri liceat, differit etiam Menochius in Hist. Miscell. Sacra, part. 1. §. 145. & part. 3. §. 23. ubi ait, non posse talem errorem sustineri, vel excusari; semper enim peccatum est mentiri, ut mox diximus; idcirco scriptum est ab Apostolo Paulo ad Ephesios cap. 4. 25. Deponentes mendacium, loquimini veritatem unusquisque cum proximo suo: & non semel narravit mihi Eminentiss. ac Reverendiss. S. M. Dominus meus Gregorius Cardinalis Barbadiensis Episcopus Patavinus (qui quanto severior, ac gravior erat tempore Pastoralium operationum, eo dulcior, ac suavior existebat in horis recreationis) se à virtus doctis, ac Religiosis didicisse; quod vivente Angelico Doctore S. Thoma Aquinate, in quo & sublimis scientia, & simplicitas religiosa enitebatur, duo Fratres, quadam die, otiosissimi apud fenestram dormitorii, per quod tunc Sandus Doctor transibat, eum vocaverunt illudentes, ac dicentes: Festina, Thoma, curve ad hanc fenestram, & videbis Asinum per aera volantem. Currebat Angelicus ad fenestram; at illi iridentes dixerunt: quàm stultus es, credere, quod Asinus volaret? Ad hæc piissimus, ac pœnitentissimus Doctor respondit: Potius volui credere, quod volaret Asinus, quàm quod duo Religiosi dicerent mendacium. Adeo suavis erat Divo Thomæ in nullo casu licitum esse mentiri. Cæterum quod ad obstetrices Ægyptias Titinus in Exod. d. cap. 1. in fin. ait: Nota, non placuisse Deo, neque remunerari hic mendacium obstetricum; sed solum pietatem Hebræis exhibitam; nam erant hic varii adus boni, prout distinctè ab illo mendacio. Idemque asseverant SS. Patres, quos allegat Cornelius à Lapide ibid. At mihi placet Cardenas, qui in Crisi Theologica Dissert. 19. cap. 5. num. 63. observat, optimè posse obstetrices vindicari à mendacio; nam verisimile, ac credibile est, quod ubi femine Israeliticæ audierunt decretum Pharaonis de occidendis masculis Hebræis ab obstetricibus, ipsæ femine Israeliticæ didicerunt obstetricandi artem, ut prædicti masculi servarentur; quare dum obstetrices Ægyptiæ dixerunt Pharaoni: Non sunt Hebrææ sicut Ægyptiæ mulieres; ipse enim obstetricandi habent scientiam; & priusquam veniamus ad eas, parium. Exod. 1. 19. absque mendacio id dicere potuerunt; non enim difficile erat mulieribus

Hebræis discere modum, parturientes adjuvandi; & à seipsis in partu feminas obstetricantes assumere. Nisi dicamus, (quod magis veritati arduum) easdem obstetrices Ægyptias tacuisse verum; quod scilicet ipsæ servassent vivos tenellos Hebræos; non autem mendaciter dixisse, se eos vivos non servasse; aliud enim est tacere veritatem; & aliud dicere falsitatem. Falsum dicere, numquam licet; Veritatem tacere aliquando licet extra iudicium, & citra præiudicium alterius ob rationabilem causam. cap. Utilem. & cap. seqq. 22. quest. 2. S. Thomas 2. 2. quest. 111. art. 1. & S. Antoninus in Sum. part. 4. tit. 10. cap. 1. col. 5. ut latius differui in meis Decisionibus Anni 1687. ad Casum Prudent. Mensis Decembris: ubi docui, quando quis uti possit verbis æquivocis, ac amphibologicis iuxta traditionem Fagnani in cit. cap. Falsidicus. num. 147. & 148. de Crim. falsi, & iuxta doctrinam Eminentiss. Cardin. de Lauræa in 3. Sent. tom. 2. disp. 25. art. 6. §. Unico: ubi cum num. 102. firmaverit, in nullo casu licere adcelandam veritatem dicere mendacium cujuscvis generis. subdit num. 104. quod non quilibet tenetur omne verum naturale, & humanum sibi notum manifestare; concludens num. 112. quod aliquando, dum arget necessitas loquendi de rebus humanis, licitum est ex aliquo honesto fine æquivocare, seu amphibologicè loqui; non manifestando explicitè veritatem; quam conclusionem probat variis exemplis Sacræ Scripturæ, Canonibus, & auctoritatibus Sanctorum; ac de hac materia novissimè differens Cardenas ponit quatuor modos licitæ æquivocationis d. differt. 19. cap. 4. quos legisse studiosum non pigebit; advertendo tamen, quod æquivocare prædictis quatuor modis licitum est; non autem adhibere restrictiones mentales; siquidem hæc omnes proscriptæ, ac damnatæ sunt ab Innocentio Papa XI. Anno 1679. in Proposit. 26. 27. & 28. quas extendit idem Cardenas d. Differt. 19. in princ.

His ita præmissis, ut lectori clare pateat malignitas Mendacii; ab eodem clare debet Pœnitens in confessione, & tenetur esse Fidelis in se accusando coram Confessario de numero, speciebus, ac circumstantiis suorum criminum absque mendacio, ut latè differunt Suarez de Pœnitent. disp. 22. sect. 10. Eminentiss. Card. de Lugo disp. 16. sect. 2. §. 6. Navarrus in cap. Fratres. de Pœnit. disp. 5. Layman in Theol. Morali lib. 4. tract. 6. cap. 8. & alii, quoscit Diana part. 3. tract. 4. respl. 95. Quæ jacet in Coordinato tom. 1. tract. 3. respl. 115. Et quoniam dicere mendacium in confessione aliquando est peccatum mortale, confessioque est invalida; & aliquando peccatum est tantum veniale, ac valida est confessio; idcirco ad certitudinem hujus materie sequentes Regule sunt observandæ.

Regula prima: Qui in Confessione implicite, vel explicitè negat peccatum mortale, quod hic, & nunc tenetur confiteri, peccat mortaliter; ea ratione, quia Sacramentum remanet irritum ob defectum integritatis, quæ destruitur à dicto mendacio. Sotus in 4. disp. 18. quest. 2. art. 4. concl. 3. Navarrus in cap. Fratres. num. 14. de Pœnit. disp. 5. Reginaldus lib. 6. num. 67. & Gobatus d. tract. 6. num. 539.

Regula Secunda: Qui se accusat in confessione de peccato mortali, quod tamen non patravit, mortaliter deliquit; & ratio est, quia iudicium Confessarii fallitur, & variatur per illud mendacium in re gravi; & ei datur occasio peperam impendendi Sacramentalem absolutionem. Navarrus in d. cap. Fratres. num. 26. Reginald. d. num. 67. Tamburinus de Exped. Confess. lib. 2. capit. 10. §. 2. num. 39. & Gobatus d. tract. 6. numer. 540. qui ulterius hanc Regulam procedere volunt, etiam si pœnitens pro certo confiteretur peccatum, de quo dubius est, an illud commiserit; nec non si adde-

aderet, se illud aliàs confessum fuisse, quod tamen nunquam fecerit, nam auget injuriam Sacramento, addendo mendacium mendacio, & decipiendi in re gravi Confessarium, ut considerat etiam Eminent. Card. de Lugo disp. 14. sect. 8. num. 125. aut etiam si occidisset Petrum, & se accusaret, occidisse Paulum, quia exprimit homicidium, quod non fecit; & tacet, quod patravit. Tamburin. d. lib. 2. cap. 10. §. 2. num. 45. Nisi forte ipse pœnitens ex indifferente fervore mentiretur absque intentione fallendi Confessarium; esset enim mendacium materiale tantum, & ad summum peccatum veniale, quia indifcretè se accusans, agit contra rectam rationem, ut ait Card. Cajetanus in Verb. Confessio Sacramentalis. condit. 4.

Regula Tertia: Tunc quoque mendacium in confessione est lethale, quando tota confessio constat vel meris venialibus confisus, vel uno solo veniali patriter confisito. Reginald. d. lib. 6. num. 69. prout etiam quando pœnitens se accusat de veris venialibus commissis, de quibus tamen vel non dolet, vel non habet propositum te emendandi. Angelus Verb. Confessio. num. 57. Suarez d. disp. 22. sect. 10. num. 6. Layman d. lib. 4. tract. 6. cap. 8. num. 15. & Gobatus d. tract. 6. num. 541. ea manifesta ratione, quia pœnitens in tali casu mentiendo efficit Sacramentum nullum, quia nulla materia apponitur formæ. Et ab hac communi opinione puto, non esse recedendum, quidquid dicat in contrarium Philippus Faber assertus Professor Theologiæ in hac Academia Patavina mihi incognitus, quem allegat Diana Coordinatus tom. 1. tract. 3. respl. 115. desumpta ex veteri part. 3. tract. 4. respl. 95.

Regula Quarta: Venialiter solummodo peccat, qui mendaciter se accusat de peccato veniali non commisso, quando ante, vel post ipsum mendacium exponit alia peccata vera, sive gravia, sive venialia cum debito dolore, ac proposito te emendandi; siquidem Sacramentum non remanet irritum, atenta sufficienti materia. Reginald. ubi supra n. 68. & 69. idemque est dicendum, si circa aliqua venialia deficiat dolor, vel propositum, ut ex Suarezio, Dicastilio, ac Eminent. Lugone firmat Gobatus d. tract. 6. num. 542.

Regula Quinta: Mendacia, quæ committuntur pœnitente in confessione, accusando se de peccatis non commissis prout in Regula secunda, ac tertia, continent triplicem malitiam; Unam oppositam virtuti Religionis, quæ obligat ad non injuriam Sacramento, prout fit in dictis casibus, unde nascitur peccatum Sacriligii; Alteram adversus veritatem, narando, ac dicendo falsum; Tertiam, adversus legem de non se indebitè infamando, quam transgreditur pœnitens inponendo sibi crimen grave, quod non fecit; & ad has omnes malitias fas est, ut Confessarius attendat, quando qui mendax fuit in antecedenti Confessione, retrahat mendacium, & de illo se accusat, ut rectè judicare valeat super prædicta infidelitate præteritæ exomologæ, ac crimine mendacii; & pro illo imponere condignam pœnitentiam; nam ubi mendacium fuit ob narrationem confisidi peccati mortalis, assumit mortalem triplicatam malitiam, venialem verò, si de confisito veniali fuisse confessio. Gobatus d. tract. 6. num. 544. & 545. ubi bene advertit, quod si pœnitens mentiarur in confessionali ante, vel post absolutionem, sed nullo modo in ordine ad confessionem, non affricat suo mendacio pravitatem ullam sacrilegii, aut culpæ lethalis; quod etiam scribit Eminentiss. Card. de Lugo d. disp. 16. sect. 2. num. 98. & Tamburinus d. lib. 2. cap. 10. §. 2. num. 42. neque etiam si negaret peccatum mortale commissum, sed aliàs confessum. Reginaldus d. lib. 6. n. 70. ut Veniale, quod non intendit confiteri, vel si interrogatus à Confessario de rebus extraneis à confes-

sione, negaret eas scire, quamvis verè illas sciret. Navarrus in d. cap. Fratres. à num. 23. & seqq. de Pœnitent. disp. 5.

Hæc scripsisse volui contra mendaces in confessione, vel affirmantes id, quod non fecerunt, vel negantes ea, quæ commiserunt. De primis raris erit casus, nisi aliqui pœnitentes adeo simplices reperiantur, qui adintra illius adolescentulæ, de qua Paulus de Barry in Solitudine Philagie die 2. ante exam. pro Confess. pag. 64. narrat, quod transcripserat ex suo officio omnes species peccatorum adversus singula præcepta Decalogi, quas etiam enormes audiens Sacerdos dixit: hæc verè fecisti? Absit, ait illa: sed ea narro, quia reperta in methodo examinandi conscientiam, rata sum, omnia esse naranda; idcirco, monita à Confessario de fidelitate circa commissa tantum dicenda; paginam illam lacervavit. At de aliis tacentibus ac negantibus criminata patraata, potissimum ob verendum, utinam non frequentes essent casus, prout experiantur Religiosi Missionarii, qui præcurrunt ante Episcopos dioecesis visitatos, & præmissis fructuosis concionibus de integritate, ac fidelitate Sacramentalis Confessionis coguntur multiplices confessiones generales accipere ad sanandas nullitates præteritarum. De utilitate autem Confessionis generalis legendus est P. Paulus Sengeri in Pœnitentia Instruendo cap. ult. De remediis verò curandi mendacia in confessione videndus P. Franciscus Stadiera, Inganni della Vita spirituale tract. 1. 5. cap. 6. ubi quatuor radices demonstrat, è quibus insurgunt prædicta mendacia, & occultatio propriorum criminum.

DE C I S I O XXX.

A R G U M E N T U M.

Præfens Decisio continet quartam conditionem Confessionis Sacramentalis, ut scilicet SIT OBEDIENS; hoc est, ut Pœnitens sit dispositus acceptare, & exequi pœnitentiam, quam ei injunxerit Confessarius. & ei obedire circa alia concernentia salutem Animæ. Examinatur famosa Questio, An sit absolvendus Pœnitens recusans Pœnitentiam Confessarii, asserendo, se velle facere in Purgatorio. Stultam esse hæc assertionem exemplum relatum à S. Antonino demonstrat.

S U M M A R I U M.

- 1 Obediens debet esse Confessio Sacramentalis. Et in quibus?
- 2 Obedire Confessario an Pœnitens teneatur de Precepto? rationes pro negativo.
- 3 Purgatorium cur sit constitutum à Divina Justitia?
- 4 Exemplum indifcreti Confessarii cum quodam bajulo pœnitente.
- 5 Contritio summa delet omnem penam. Exempla contritorum.
- 6 Pœnitentia est omnino acceptanda, & exequenda à Pœnitente. Rationes, ac fundamenta hujus opinionis affirmativæ.
- 7 Verbum Debet importat necessitatem.
- 8 Pœnitens recusans pœnitentiam non est absolvendus, nisi excusetur impotentia physica, vel moralis.
- 9 Refutantur fundamenta opinionis contrariæ.
- 10 Purgatorium eligere, & satisfactionem in hac vita negligere, inhærens est.
- 11 Exemplum Pœnitentis, qui elegerat stare per tres dies in Purgatorio.
- 12 Obedire debet pœnitens Confessario circa pœnitentiam sub mortali.



**Q**uarta tandem conditio Confessionis Sacramentalis, ut sit perfecta, est, quod sit *Obediens*, ut diximus supra Decif. XV. num. 32. videlicet, ut pœnitens, qui sua peccata confitetur, habeat animum, & propositum exequendi quicquid Confessarius iudicaverit necessarium ei injungere, tum in casibus restitutionis, tum in fugiendis occasionibus peccandi, ac acceptandis remediis, ne delinques cadat in peccata; ac demum in acceptanda pœnitentiâ, eaque adimplenda, quam ipse Confessarius illi imponere voluerit, ut differunt Eminentiss. Cardin. Toletus lib. 3. cap. 9. num. 3. Reginaldus lib. 6. num. 90. in fin. & passim omnes. Porro hic examinanda est antiqua, ac famosa illa Quæstio, Utrum hæc obedientia in pœnitente sit de præcepto; aut pendeat ab ejus libera voluntate; itaut, si dicat, nolle facere aliquam pœnitentiam in hac vita, sed esse contentum satisfacere pro suis peccatis in Purgatorio, nihilominus sit à Confessario absolvens, & absque ulla pœnitentiâ dimittendus, Tractant hanc quæstionem Suarez de Pœnitent. disp. 38. scđ. 7. Navarrus in cap. Consideret. §. Ponat. de Pœnitent. disp. 5. Emin. Card. de Lugo eod. trađ. disp. 25. scđ. 5. Comitulus Resp. Moral. lib. 1. q. 35. ac plurimi Theologi, & Summissæ utriusque Scholæ collecti per Dianam Coordinatum tom. 1. trađ. 6. resol. 2. resol. 3. & resol. 4. quæ fuerunt excerptæ ex Diana veteri part. 3. trađ. 4. resol. 51. & trađ. 15. resol. 52. nec non ex part. 11. trađ. 7. resol. 2. & novissimè post ipsum Collegium Salmanticen. In cursu Theol. Moral. De Sacramentis in genere d. trađ. 6. cap. 10. punct. 4. Eminentiss. Card. de Laurea de Pœnit. disp. 22. art. 7. ac doctissimus Maftrius in 4. Sent. disp. 5. q. 22. ubi indolentiam faciunt tamquam boni Scotticæ contra illos, qui declamant eorum subtilissimum Doctorem, ac Magistrum docuisse, posse Pœnitentem absolute quamcumque pœnitentiâ reculare; non enim cum hac generalitate locutus est Scotus.

Igitur plurimi DD. tam antiqui, quam moderni tenent, posse pœnitentem reculare pœnitentiâ sibi à Confessario propositam, dicendo, velle eam facere in Purgatorio, & moventur sequentibus argumentis. Primò, Quia sicut homo extra Sacramentum potest abstinere à satisfactione pro suis peccatis in hac vita, & pro iisdem velle lucere, ac satisfacere in alia, idest in Purgatorio; ita potest idem velle, ac idem facere in Sacramento Pœnitentiæ. Consequentia probatur; Sacramentum hoc obligat ad obtinendam remissionem culpæ, & commutationem pœnæ æternæ, non autem ad satisfactionem pœnæ temporalis. Ergo cum pœnitens se accusat de suis peccatis cum dolore, ac proposito emendationis, satis est proabsolutio obtinenda.

Secundò, Quando sunt duo modi satisfaciendi justitiæ pro aliquo delicto, potest reus eligere quem ex illis duobus sibi magis placuerit. Sed satisfacere possumus pro peccatis vel in hac vita vel in Purgatorio. Ergo pœnitens potest juxta suum placitum unum ex illis eligere.

Tertiò, Si hoc verum non esset, Purgatorium esset superfluum, siquidem constitutum est à divina justitiâ, ad ibi satisfaciendum pro peccatis jam remissis. Ergo nil prohibet pœnitenti, quin ibi velit satisfacere.

Quartò, Judicium Sacramentalis Confessionis est voluntarium ipsi pœnitenti, qui non potest absolvi, nisi ipse velit; ergo neque potest obligari ad acceptandam pœnitentiâ, ac satisfaciendum in hac vita, nisi concurrente ejusdem voluntate.

Quintò, In iudiciis fori exterioris non est prohibitum appellare à pœna imposta per iudicem inferiorem ad Tribunal iudicis superioris. Sed in nostro casu pœnitens reculendo pœnitentiâ Confessarii, & dicendo se velle eam facere in Purgatorio, quodammo-

do appellat à sententiâ iudicis inferioris ad Tribunal iudicis supremi, & pœna transferri ad carceres Divinæ justitiæ. Ergo hoc ei non est prohibendum.

Sextò, Quilibet potest renuciare beneficio pro se introducto: cap. Ad Apostolicam. De Regular. Barbosa Axiom. 96. n. 2. Sed satisfacere in hac vita adimplendo pœnitentiâ à Confessario injunctam, est favorabile pœnitenti, ut effugiat pœnas ignis Purgatorii in alia. Ergo, si vult renuciare huic favori, id facere potest.

Septimò, Finis Sacramenti pœnitentiæ est salus peccatoris. Sed si peccator, qui dolet de peccatis confessis, & habet propositum non recidivandi, non absolveretur ob reculatam ab eo acceptationem pœnitentiæ, ejus salus non procuraretur, sed ejus perditio; quia desperatus recederet, & in majora peccata se proliceret. Ergo etiam non acceptet pœnitentiâ, est absolvens.

Octavò, Qui confitetur in gravi infirmitate, vel morti proximis, absolvitur, etiam si nullam faciat pœnitentiâ. Ergo id fieri potest etiam extra casum infirmitatis.

Nonò, Si pœnitens esset obligatus acceptare, & adimplere pœnitentiâ; sibi à Confessario designatam sæpè sæpius cogere tur suscipere pœnitentiâ indiscretas, & sibi impossibiles, puta si melancholico, & ad desperationem prono imponatur ea, quæ augent melancholiam, & tristitiam, ut est nimis orationes recitare, abstinere ab honestis conversationibus, & familia, de quibus Navarrus in d. cap. Consideret. §. Ponat. num. 4. de Pœnitent. disp. 5. Ergo audivi à Confessario pio, ac docto, quod in sua Religione fuit punitus quidam Sacerdos expositus Confessionibus audiendis, qui in hebdomada Sancta, circa Confessionalem sedem magna pœnitentium multitudine adstante, auditus fuit disputare cum paupere quodam bajulo, sua peccata confesso; reculente acceptare pœnitentiâ decem dierum jejunii in pane, & aqua, allegante suos corporales labores, ac rogante, ut in aliis piis operibus sibi congruis eam commutaret. At inflexibili extante Sacerdote, recessit bajulus inabolutus, & paulò post, distans aliquantulum, ad eundem conversus, ait: Pater, Pater: ostendique ei quinque digitos dexterae manus, inpuens, se paratum acceptare quinque dies jejuniorum. At Confessarius respondit: *negnaquam; sed extendit ambas manus, & decem digitos, illos excutens ac si ageret ludum della mora; reitans suæ voluntatis actum, ut decem diebus jejunaret; undè mœstissimus bajulus abiit, scandalium passus fuit adstantes, à quibus monitus Superior illius imprudentis, ac indiscreti Confessarii, eum acquiri pœnitentiâ coercuit, & à Sede Confessionalis omninò removit. Itaque facile est consimiles indiscretos Sacerdotes reperire, qui nimis urgeant pœnitentem, quem expedit posse reculare pœnitentiâ, & petere absolutionem; protestando, contentum esse, eam facere in Purgatorio.*

Decimò, Idem jus est de parte, ac de toto. Barbosa in Locis com. loc. 82. Sed potest Confessarius injungere modicam pœnitentiâ pœnitenti; & sic tenem partem explendam in hac vita, relinquendo residuum purgandum in Purgatorio. Ergo poterit etiam nihil injungere, & permittere, ut tota pœna debita pro peccatis luatur in Purgatorio.

Undecimò, Dari potest Confessio Sacramentalis in qua pœnitens se accusat vel de solis peccatis venialibus, vel etiam de mortalibus; sed alias confessis, ac dimissis. At in hoc casu ex communi Doctorum placito, pœnitentiâ vel non acceptata, vel non adimplenda non excedit culpam venialem. Maftrius d. disp. 5. num. 604. Suarez tom. 4. in 3. part. D. Thoma disp. 38. scđ. 7. n. 4. Layman lib. 5. trađ. 6. cap. 15. n. 7. & Diana Coordinatus d. tom. 1. trađ. 6. resol. 5. & resol. 47. ac resol. 48. Ergo non est verum, quod

quod semper teneatur pœnitens acceptare, ac exequi pœnitentiâ.

Duodecimò, & ultimo. Tanta potest esse Contritio in pœnitente, ac displicentia de peccatis, ut non sit opus pœnitentiâ, quia vales ipsa summa contritio ad satisfaciendum Divinæ Justitiæ pro quacumque pœna aliâ luenda; ut docuimus supra Decif. VI. n. 6. Hinc legitur in Chronicis Sancti Francisci mulierem concionem audientem, magno dolore de suis peccatis contritam, expirasse, & orante Concionatore, revelatum sibi fuisse, ejus animam ad Cælum convolasse. Aliumque peccatorem, qui propriam filiam violenter oppresserat, ad pedes Episcopi cum lacrymis hoc facinus confessum, sibi pœnitentiâ gravem postulans, pro nimio dolore decessisse, retulitque deinde pius ille Episcopus, quod ille pœnitens sine ulla alia Purgatorii pœna, validissima tantum contritione purgatus ad gloriam evolaverit. Ita Dauroulus in Catechismo Histor. part. 3. cap. 5. tit. 37. §. 2. ac 3. & Mattheolus il Sylva part. 2. lib. 8. cap. 1. tit. 18. Exempl. 2. §. 3. His itaque rationibus permoti hanc opinionem tenebant Gabriel in 4. disp. 16. quæst. 2. dub. 1. Cajetan. quæst. 2. de Satisfact. Sylvester in Verb. Confessio. 1. §. 25. & §. 26. Angelus eod. Verb. 1. §. 36. Navarrus in d. cap. Consideret. §. Ponat. Abbas in cap. significavit. de Pœnit. & Remissi. Et cum his tenuisse fertur Scotus in 4. disp. 15. qu. 1. §. De secundo principali. Vers. Quia ergo; nec non disp. 19. §. Ad quæstionem motam, sub Litt. D. cuius auctoritate freti eandem defendunt Scotisticæ veteres, ac juniores Faber, Hitibarnes, Aretinus, Poncius, & alii plures apud Castropalaum trađ. 23. disp. Unica, punct. 21. §. 4. & Collegium Salmanticen. trađ. 6. de Sacram. in genere cap. 10. punct. 4. num. 48.

Contraria verò Sententiâ, quæ omninò tenenda est innititur sequentibus fundamentis.

Primò, Ex cap. Multiplex. 49. de Pœnit. disp. 1. ubi S. Leo Papa ita scribit: Mediator Dei, & hominum homo JESUS CHRISTUS hanc Præpositi Ecclesiæ tradidit potestatem, ut & contentibus pœnitentiæ satisfactionem darent; & eadem salubri satisfactione purgatos ad communionem Sacramentorum per januam reconciliationis admitterent. En igitur potestas in Sacerdote injungendi satisfactionem, & in pœnitente obligatio eam adimplendi, ut possit Deo reconciliari.

Secundò, Ex cap. Omnis utriusque sexus. de Pœnit. & Remissi. ubi expressè decernitur, teneri omnem utriusque sexus fidelem, qui doli sit capax, singulis annis semel saltem proprio Sacerdoti confiteri omnia peccata, in Paschate Eucharistiam sumere, & injunctam Pœnitentiâ propriis viribus adimplere.

Tertiò, Ex Concilio Lateranensi, cui præfuit Leo X. in quo præceptum fuit, ut blasphemiam absolvi non possint, nisi gravissima pœnitentiâ (verba sunt Concilii) severi Confessoris arbitrio injuncta. Ecce necessitas acceptandi pœnitentiâ, ad obtinendam absolutionem.

Quartò, Ex Concilio Florentino, in quo, ubi definita sunt essentialia Sacramenti Pœnitentiæ, dicitur, quod Pars Pœnitentiæ satisfactio est, secundum arbitrium Sacerdotis. Si ergo satisfactio secundum Sacerdotis arbitrium est pars Sacramenti, non potest à pœnitente reculari.

Quintò, Ex Concilio Tridentino sess. 14. de Confess. cap. 8. ubi hæc verba: Debent ergo Sacerdotes Dominis, quantum spiritus, & prudentia suggererit, pro qualitate criminum, & pœnitentium facultate salutare, & convenienter satisfactiones injungere. Porro verbum Debent, in jure importat necessitatem, & inducit obligationem. I. Sep. ff. de Offic. Præsid. Fagnanus in cap. Qualiter. n. 37. de Cleric. non res. Idèò ipsum Concilium eadem sess. 14. Can. 15. decrevit, quod si quis dixerit Claves Ecclesiæ esse

datas tantum ad solvendum, non etiam ad ligandum, & propterea Sacerdotes, dum imponunt pœnas contentibus, agere contra finem clavium, & contra institutionem Christi, &c. Anathema sit.

Sextò, Ex ratione Sacramenti Pœnitentiæ instituti ad modum iudicii, cujus virtute Sacerdos habet potestatem tamquam Judex puniendi pœnitentem, & illi incumbit obligatio pœnam acceptandi, ac exequendi.

Septimò, Quia imò Confessarius tamquam Judex tenetur imponere pœnitentiâ, ob præteritorum peccatorum vindictam, & castigationem, ut ait Concil. Tridentin. d. sess. 14. cap. 8. At si liceret Pœnitenti eam reculare, inutilis esset Confessarii auctoritas vindicandi, ac castigandi peccata. Ergo.

Octavò, Ulterius Sacerdos tamquam Medicus debet advertere in pœnitentiâ injungenda, ut deserviat ad novæ vitæ custodiam, & ad infirmitatis medicamentum; ut docet idem Concil. Trid. ead. sess. 14. c. 8. Sed frustra Confessarius mederetur infirmitati pœnitentis, si huic liceret, medicamentum, idest pœnitentiâ reculare. Ergo.

Nonò, Quia ex doctrina S. Thomæ 3. par. q. 90. art. 2. ad validitatem Confessionis tria requiruntur in pœnitente; Primò quidem voluntas reconponendi (scilicet Divinam Justitiâ peccatis offensam) quod fit per contritionem. Secundò, quod se subiciat arbitrio Sacerdotis loco Dei, quod fit in Confessione. Tertio, quod reconponat secundum arbitrium ministri Dei, quod fit in satisfactionem. Igitur sicut tenetur pœnitens se subicere Ministro Dei in Confessione, sic etiam in satisfactione debet esse subiectus arbitrio illius.

Decimò, Si pœnitens posset non acceptare satisfactionem, quam illi imponit Confessarius, destrueret virtutem Clavium Ecclesiæ, quæ datæ sunt à Christo, ut per eas Sacerdotes habeant facultatem ligandi, atque solvendi: juxta illud: Amen dico vobis, quæcumque alligaveritis super terram, erunt ligatæ & in Cælo; & quæcumque solveritis super terram, erunt solutæ & in Cælo. Matth. 18. 18. de quibus Clavibus pro foro interno diximus supra Decif. XIX. num. 16. & egimus ibidem à num. 31. & seqq.

Undecimò, Si posset rejici satisfactio pro Confessario imposta à pœnitente, hic usus esset introductus in Ecclesia à primis sæculis, & de eo haberetur observantia. Sed hoc est falsum; quia nullibi de tali usu constat, imò semper Sancti Patres, ac Concilia præceperunt Sacerdotibus, ut convenientes imponant satisfactiones, & si pœnitentes sint infirmi, debeant eis innuere hanc suam obligationem, si convalescant. cap. Ab infirmis. 26. q. 7. Ergo.

Duodecimò, & ultimo: Si pœnitenti liberum esset reculare pœnitentiâ, Sacerdos non esset certus de ejus proposito se emendandi; imò justam ansam haberet dubitandi, prædictum propositum de facere; qui enim despicit, ac respuit medicinam, indicat, se nolle sanari. Idcirco Sacerdos cum incertitudine impederet ipsi absolutionem cum evidenti periculo irrogandi gravem injuriam Sacramento & committendi Sacrilegium.

Ex his igitur, & similibus rationibus, & argumentis omnes moderni docent, esse omninò amplectendam, ac in praxi servandam hanc secundam opinionem; inter quos Comitulus lib. 1. q. 35. ubi num. 4. allegat plurimos ita sentientes; Eminentiss. Cardin. de Lugo d. disp. 25. scđ. 5. Eminentiss. Cardin. de Laurea d. disp. 22. à num. 143. & seqq. Maftrius in 4. Sent. tom. 4. d. disp. 5. scđ. 22. art. 1. & art. 2. Gobatus trađ. 7. num. 764. & seqq. ac Collegium Salmanticen. d. trađ. 6. cap. 10. punct. 4. à num. 52. & seqq. ubi alii multi. Qui tamen hanc opinionem limitant, quando pœnitens ob inhabilitatem physicam, aut moralem non potest acceptare, aut



exequi Pœnitentiam sibi à Confessario injunctam; in hoc enim casu absolvendus est, & permittendum, ut satisfaciatur in Purgatorio. Inhabilitas physica est gravis infirmitas, vel imminens periculum vitæ in naufragio, vel in bello; tunc enim impossibile est dare, ac recipere pœnitentiam; unde, ea omiffa, pœnitentes sunt absolvendi. Eminent. Card. de Lauræa d. disp. 22. num. 153. quia Deus non obligat ad impossibilia. Moralis inhabilitas cenfetur esse vel nimis labor corporis, vel nimia debilitas mentis; certum est enim, quod artifices, rustici, bajuli, alique victum sibi comparantes gravibus corporeis laboribus non possunt moraliter accipere jejunia, aliaque corporis austeritates, prout neque qui patiuntur animi debilitatem ob melancholiam, aut aliam imperfectionem, non sunt habiles ad suscipiendas pœnitentias jejuniorum in pane, & aqua, ad longas preces recitandas, solitariamque vitam degendam; & ideo hi omnes reculare possunt satisfactiones sibi moraliter impossibiles, & petere, ut aliæ sibi faciliores injungantur, vel absolvantur absque alia pœnitentia, acceptantes eam facere in Purgatorio; & in hoc sensu id licitum esse, ait Scotus in 4. disp. 19. §. ad questionem moxam. D. ut Magistrus advertit d. disp. 5. num. 589. & Eminent. Card. de Lauræa d. disp. 22. num. 138. ex quibus justificatur subtilissimi Doctoris assertio, quæ non est universalis, & in quacunque confessione; sed in casu tantum physice, vel moralis inhabilitatis, & quando Confessarius esset indiscretus, & imponeret pœnitentias incongruas, & inadaptabiles statui ipsius pœnitentis contra *tex. in cap. Alligant. 26. quæst. 7. ubi damnantur Sacerdotes, qui imponunt pœnitentibus onera gravia, & importabilia, monenturque, ut benignos se præbeant; nam melius est errare in assignanda modica pœnitentia, quam gravi, quod renovatum fuit à Concilio Tridentino in cit. sess. 14. cap. 8. ubi præcipit Sacerdotibus, pro qualitate criminum, & pœnitentium facultate salutaris, & convenienter satisfactiones injungere.* Et in hoc pariter sensu mihi videtur locutus Navarrus in cit. cap. Consideret. §. Ponat. num. 8. de Pœnit. disp. 5. quod repetit etiam in Manuali cap. 26. num. 20.

Retenta itaque hac secunda opinione cum moderatione, seu limitatione supranotata, contraria opinio est pœnitens rejicienda; adeo ut si pœnitens reculeret congruam pœnitentiam, ac diceret, absolve me, satisfaciatur in Purgatorio, esse omnino repellendus à Sede confessionali, & dimittendus inabsolutus; nec tali instantia Confessarius cedere deberet; ut notat Gobatus d. tract. 7. num. 764. attestans, hanc opinionem in Germania esse pœnitentis ignotam. Neque subsistunt fundamenta contraria.

Non primum, Quia, etsi extra Sacramentum homo per se, & ex natura rei omittere possit satisfactionem pœnitentiam pro suis peccatis in hac vita, & velle eas pari in Purgatorio; aliter est dicendum ex institutione, & susceptione Sacramenti Pœnitentiæ; quod cum sit ordinatum per modum iudicii, debet pœnitens, parere sententiæ Sacerdotis impoñentis ei pœnitentiam pro peccatis confessis, & non est verum, quod hoc Sacramentum obliget tantummodo ad obtinendam remissionem culpæ, & commutationem pœnitentiæ æternæ; siquidem obligat ad illam satisfactionem pœnitentiæ temporalem, quam Confessarius iudicat convenientem, ne iudicium mutuum remaneat.

Non secundum, Quia procedit de satisfactionibus debitis extra Sacramentum: sed de illis injunctis à Sacerdote, cui eum pœnitens se subiecit tamquam iudici, debet ejus sententiæ parere, & pœnitentiam injunctam accipere, & persolvere.

Non tertium, Quia respondetur Purgatorium non esse principaliter institutum à Divina Justitia pro illis, qui in hac vita voluerunt nullam facere pœnitentiam, sed pro illis, qui licet injunctam à Confessario fecerint, attamen non totaliter satisfecerint pro suis peccatis; atque ideo Purgatorium non est superfluum, quia ibi residuum pœnitentiæ, solum Deo notum, remanet adhuc in Purgatorio lendum.

Non quartum, Quia voluntarium est iudicium Confessionis Sacramentalis ipsi pœnitenti, quatenus potest accedere, vel non accedere, ad talem Confessarium: sed quando accessit, & confessus est sua peccata, & vult absolvi ab eis, non est voluntarium reculare pœnitentiam, sed necessarium ob debitam obedientiam iudici, qui eatenus est ei remissurus culpam, quatenus acceptet, & adimpleat pœnitentiam.

Non quintum, Nam non currit comparatio de foro externo ad forum internum, quia supremum est; quia in hoc non datur appellatio, quia supremum est, & idem cum Divino, juxta illud quod supra notatum est: *Quæcumque alligaveritis super terram, erunt ligata & in celo. Matth. 18. 18.*

Non sextum, Quia procedit, quando acceptatio favoris, ac beneficii pendet à libera voluntate personæ privatæ, secus quando pendet à dispositione Principis, ut in casu nostro, in quo Christus tamquam Rex supremus ita disposuit hoc beneficium in Sacramento Pœnitentiæ sub modo iudicii, ut qui velit remissionem culpæ, & commutationem pœnitentiæ æternæ; debeat accipere, ac exequi pœnitentiam temporalem, quam Sacerdos tamquam Iudex voluerit imponere.

Non septimum, Quia concessio, quod à Confessario fit procuranda salus peccatoris; casu, quo per indiscretam pœnitentiam, ejus absolutio impeditur, poterit accedere ad alium Sacerdotem benigniorem, qui audita ejus Confessione, & considerata ejus habilitate moderabitur pœnitentiam, & sollicitus erit de ejus salute, absolutionem eidem impendendo.

Non octavum, Quia in casu gravis infirmitatis, vel mortis imminens est impotentia physica, ut dictum est supra n. 8. & tunc absolvi pœnitens absque pœnitentiæ impositione, quia Deus non obligat ad impossibilia, ex *Trid. sess. 6. cap. 12. etsi, quando infirmus non sit pœnitens destitutus sensibus, imponitur ipsi etiam in eo casu modica quedam satisfactio, nempe unso pectoris, pronuntiatio Sanctissimorum nominum JESU, & MARIE; vel actus conformitatis Voluntati divinæ; ut innuit Gobatus d. tract. 7. num. 759. & Collegium Salmanticense. d. tract. 6. cap. 10. n. 20. & 21.*

Non nonum, Quia, ut dictum est ad septimum, si reperiat Confessarius indiscretus, potest pœnitens ab eo recedere, ut fecit bajulus ille, cujus mihi fuit narrata historia; & alii Confessario prudentiori, & benigniori sua peccata confiteri.

Non Decimum, Quia non semper currit argumentum de parte ad totum, ut probat Calderinus *conf. 11. aliis 2. de Arbitr. & Barbosa loc. 82. n. 2.* nam sæpius sæpius multi possunt disponere de aliqua parte, sed non de toto. Sic in casu nostro Sacerdos potest minore pœnitentiam peccatorum in aliqua parte ex aliquo honesto motivo, ut probat idem Gobatus d. tract. 7. num. 758. & segg. sed non potest totam dimittere, cum sit ipsa Pœnitentiæ pars integralis Sacramenti, & teneatur exercere officium iudicis completum, sententiando reum ad aliquam pœnitentiam.

Non undecimum, Quia est, quod mortale non sit ommittere pœnitentiam injunctam pro solis venialibus, vel pro mortalibus aliis confessis, in quo tamen non concordant omnes Theologi, quos refert Magistrus d. disp. 5. num. 604. adhuc tamen non inferitur ex hoc, posse relinqui maculis Sacramen-

mentum, & dari absolutionem absque acceptatione alicujus satisfactionis, quæ tamquam pars integralis non est omittenda.

Non ultimum, Quia coram Deo dari potest plena satisfactio culpæ, ut intensissimum dolorem peccatoris, & ejus perfectam contritionem, ut in exemplis allegatis. Sed coram Ministro Dei, qui est Confessarius, attendenda est qualitas sui officii, nempe judicialis in Sacramento Pœnitentiæ, quæ requirit, ut pœnitentiam imponat pœnitenti confesso, antequam illum absolvat. Quamvis concedant DD. ob summam illam contritionem licitum esse imponere exiguam pœnitentiam, ut faciebat Episcopus, de quo in secundo exemplo adducto.

Ceterum, ut cunctis pateat, quàm insipiens foret postulatio pœnitentis recusantis acceptare pœnitentiam à Confessario, ac dicentis velle satisfacere in Purgatorio; legat studiosus lector sequentem casum, quem de verbo per horum sumo ex S. Antonino in *Summa. part. 4. tit. 14. cap. 10. §. 4. ubi* ita scribit: *Cum quidam sceleratè viveret, visitatus à Domino, ut ad se rediret; incurrit gravem infirmitatem, & diutinam. Attædiatus autem ex prolixitate languoris rogabat frequenter Dominum, ut de carcere corporis duceret eum. Apparens autem una diebus ei Angelus Domini, ex parte Dei dedit sibi optionem eligendi quod magis vellet, adhuc per duos annos illam infirmitatem tolerare, & postea evolare ad Cœlum; aut tunc moriendo per tres dies in Purgatorio permanere: At ille attendens ad breviteratem temporis, quod erat mansurus in Purgatorio; & longitudinem dierum, quibus infirmitatem jamdiu expectam adhuc erat passurus, elegit potius morari in Purgatorio per triduum, & mori. Exauditus ergo de hac luce migravit, ad ignem Purgatorium peregrans anima ejus. Inde ad horam ab exitu suo de hoc Mundo apparuit ei in Purgatorio Angelus Domini confortans eum. Interrogavitque eum, si illum recognoscere; & respondit: minime. At ille: ego sum Angelus Domini, qui tibi dedi optionem sumendi ex parte Dei, adhuc locum, scilicet veniendi, & triduum moram faciendi; an in illa tua infirmitate per biennium permanendi. Cui ille: Nequaquam vales esse Angelus Dei, quia ille mentiri non potest. Sed qui mihi hoc dixit, mendacium magnum expressit. Nam cum dixerit per triduum me hic moraturum; ego jam mansi in his maximis pœnitens per plurimos annos. Angelus verò ad eum: Tu hic non fuisti, nisi per horam, ita quod adhuc habes hic manere quod restat. At ille: Roga Dominum meum, ut non respiciat ad insipientiam meam hoc eligendo; & tu pro me intercede apud eum, ut reducat ad vitam priorem, & ego ne dum per duos annos, sed quantum placuerit ei, paratus sum tolerare infirmitatem illam; quod & obtinuit. Unde vitæ restitutus patientissimè, & lætante omniem dolorem tolerabat, expertus pœnitentiam Purgatorii. Huc usque S. Antoninus. En igitur, quàm stulta est petitio nolendi satisfacere in hac vita, & deserendi totam Pœnitentiam in Purgatorium, de cujus atrocitate pœnitentiarum testimonia reddidi supra Decif. III. num. 9. & 10.*

Reasumendo hanc quartam conditionem Confessionis Sacramentalis, quod scilicet sit obedientis, id est quod Pœnitens paratus sit accipere pœnitentiam ei à Confessario injunctam, illamque exequi; hæc est adeo urgens, & necessaria; ut prætermitti non possit absque peccato mortali, ubi ea esset gravis, vel ob mortalia peccata fuisset injuncta, ut firmat Collegium Salmantic. *disp. 5. num. 604. Imò si Confessarius peteret à pœnitente, ut adimpleret pœnitentiam ante absolutionem, teneretur ei obedire; De Sacramento Pœnitentiæ.*

ut probat Eminentiss. Cardin. de Lauræa d. disp. 22. num. 154. & 155. contra Tamburinum de *Ex-pedit. Confess. lib. 4. cap. 2. §. 1. & n. 2.* ubi videtur adherere Theologis, in hac materia nimium laxantibus habenas. Reliqua, quæ concernunt materiam Satisfactionis, explicabuntur infra Decif. XXXIV.

## DECISIO XXXI.

## ARGUMENTUM.

Proponuntur novem principales casus, in quibus prior Confessio invalida est reiteranda. Quinque ex defectu contentis vel ob malum finem, vel non integre, vel absque dolore, ac proposito fe emendandi: vel non deserendi occasiones proximas (circa quas quatuor propositiones damnatè referuntur): vel ob excommunicationem, à qua Contentens prius, quàm à peccatis non fuit absolutus. Redditur ratio, cur excommunicati, etsi indignè, validè tamen recipiant omnia Sacramenta, non autem illud Pœnitentiæ. Alii quatuor casus repetendæ Confessionis invalidæ ex defectu Ministri, vel facti Sacerdotis, vel non approbati, vel dormitantis, vel indocti. Curiosus successus R. P. Francisci Suarezii eximii Theologi, dum rusticaretur penes Conimbricam.

## SUMMARIUM.

- 1 Malum ob finem facta Confessio an sit valida?
- 2 Veniale peccatum commissum in Confessione non irritat illam.
- 3 Integra si non sit Confessio absque legitima causa, est repetenda.
- 4 Sacrilegam post Confessionem alia bona fide facta non sunt iteranda.
- 5 Peccatum inculpabiliter non dictum in Confessione, non facit eam nullam.
- 6 Propositi ob defectum Confessio est invalida, ac repetenda.
- 7 Occasiones peccandi alie remote, alie proxime. Et quæ tales sint?
- 8 Propositiones quatuor damnatæ circa occasionem proximam non deserendam.
- 9 Excommunicatio pœnitentis quando reddat ejus Confessionem nullam.
- 10 Sacramenta omnia etsi indignè, validè tamen recipiuntur ab excommunicato, excepta Pœnitentiæ. Et cur?
- 11 Absolutio à censuris in Sacramento Pœnitentiæ an omittenda ante absolutionem à peccatis?
- 12 Laicus simulans se Confessarium à S. Inquisitionis Officio puniendus.
- 13 Laico facta Confessio, & ab eo data absolutio est invalida.
- 14 Confessarius non approbatus ab Episcopo nulliter absolvit: nisi communi errore credatur habere facultatem.
- 15 Dormitans, aut non audiens Confessarius an validè absolvat?
- 16 Ignorantia, & inscitia Confessarii an reddat invalidam Confessionem?
- 17 Francisci Suarezii successus curiosus circa Cappellanum, & Parochum ignorantes absolutionem Sacramentalem.
- 18 Monitor ad Prelatos circa examen Confessarium.
- 19 Repetenda quando est Confessio, quomodo sit faciendæ repetitio?
- 20 Confessio est non unica vice completa valet.

Differimus hucusque de quatuor necessariis conditionibus Sacramentalis Confessionis ad ejus validè